





COLLEGII JURIDICI DECANUS
GVIL. HIER. BRUCKNERUS, D.

PANDECT. PROF. PUBL. CURIAE PROVINC. FACULT.
JURID. ET SCABINATUS ASSESSOR,

18. 6
1714, 5

DE
VARIIS ULTIMARUM
VOLUNTATUM SPECIEBUS,
PECULIARITER DE NOVA PER
JUSTINIANUM IMP. INTRODUCTA

in *L. fn. C. de Fideicommiss.*

Quam
NOBILISSIMUS SUMMORUM IN JURE HONORUM
CANDIDATUS

JOHANNES RODDE, LUBECENSIS

Lectioe solempni, quam cursoriam vocant,

D. XII. Martii MDCCXIV.

sumfit exponendam,
tractat in hoc PROGRAMMATE.

I E N A E,
TYPIS MVLLERIANIS.

Adiuncta

*Jo. Ge. Crameri de coniungendo iuris et anti-
quitatum germanicarum studio, huiusque
subsidii ac adiumentis.*



Um dominium regulariter includat
 facultatem disponendi de rebus suis
l. 21. C. mandat. easque in quoslibet
 per alienationem transferendi §. *per*
traditionem 40. §. de R. D. adeo ut
 dominus abuti etiam rebus suis possit
l. 25. §. 11. de hered. petit. nisi obstat prohibitio legis *tot.*
tit. 7. quib. alien. lic. hinc colligere licet, quod
 facultas illa extendat se non minus ad negotia inter vi-
 vos, quam ultimas voluntates, hoc tamen cum discrimi-
 mine, ut in illis pœnitentiæ unius partis, cum altera con-
 venientis, locus ordinarie non detur *l. 5. C. de O. & A.*
 juxta regulas Doctorum juris; quod ab initio est volunta-
 tis, postea fit necessitatis, & quod semel placuit, amplius
 displicere non potest, in his autem volenti, & alteri quid
 promittenti relinquatur liberum, ante mortem novum &
 aliud quid statuere, quoniam ambulatoria dicitur esse
 voluntas hominis usque ad supremum vitæ exitum *l. 4.*
de adimend. legat. & licet quis dixerit & promiserit al-
 teri, quod non velit mutare ultimam voluntatem, in
 ejus favorem conditam, id tamen in foro externo non
 obligat, cum nemo sibi legem dicere possit, de non-
 mutanda priori voluntate *pr. l. 22. de legat. 3.* quod ap-
 plicatur etiam ad casum, quando quis juramento con-
 firmavit testamentum, aut jurato renuntiavit testamenti
 factioni *B. Struv. Ex. 32. thes. 38. B. Stryck. Dissert. de*
consc. part. in judic. cap. 5. n. 83. Legislatores Romani
 sedulo caverunt, ut, quia magnus favor erat succeden-
 tium

tium ab intestato, defunctis proximorum & carissimo-
rum, fraus omnis, injuriam istis inferens, exularet ab
ultima voluntate. Viventibus non tam facile falsum
supponi potest, quam mortuis; propterea tot solempni-
tates & cautela in nostro Jure sunt reperta, quae potissi-
mum tendunt ad excludendas fraudes. Ante Justinia-
num tres erant species ultimae voluntatis, testamentum,
codicillus & donatio mortis causa. Quamvis enim et-
iam fideicommissa usu obtinerent, non tamen valebant
ut distincta species ab illis tribus, sed quae semper aut
testamento aut codicillo erant relicta. Testamentum,
triplici modo condi solet, vel ut offeratur Principi, vel
actis publicis insinuetur, vel privatim ordinetur. Si
Principi offertur, hujus dignitas & majestas omnem sup-
plet solempnitatem, & suspensionem fraudis excludit; exi-
stimant quidem nonnulli, subsistere quoque tale testa-
mentum, quod quis per alium Principi offert *J. O. Ta-
bor de test. Princ. obl. cap. 6. n. 10. Stryck. de caut. test. cap. 8.*
hoc tamen eatenus admittendum videtur, quando Princeps
rogatus mittit Consiliarium, Secretarium aut alium, qui
a testatore accipiat & Principi tradat testamentum; *B-
Struv. ad Ant. Matth. de success. cap. 2. thes. 23. Stryck.
cit. tract. cap. 2. n. 5.* sed, si testator non coram ipso Prin-
cipe aut ejus deputato comparere deberet, & sufficeret
per alium offerre ultimam voluntatem, quilibet animad-
vertit, fraudem intervenire, & Principi transmitti posse
testamentum veluti profectum a testatore, revera tamen
suppositum & adulterinum *Hartm. Pist. lib. 3. qu. 28. n. 25.*
Alii distinguunt inter theoriam & praxin, *Tabor. cit. loc.*
Stryck. dict. tract. cap. 8. Lauterb. in Colleg. ad tit. ff. qui
mat.) (2 testam.

testam. fac. poss. §. 45. & quoad illam putant, posse etiam per procuratorem Principi offerri testamentum, quoad hanc vero contrarium obtinere, ut, nisi ipse testator Principi offerat, testamentum sit nullum *Carpz. part. 3. Decis. 293. n. 4. & seqq.* Actis insinuatum testamentum, judiciale vocari solitum, de jure civili nihil aliud requirit, quam ut testator ipse immediate (non per alium) iudici istud scriptum tradat vel verbis declaret, *l. 19. C. de testam.* & fides judicialis excludit omnem fraudis suspicionem. Disceptatio quondam fuit inter præstantissimos *JCos Hermannum Vultejum & Matthiam Berlichium*, quorum ille *vol. 1. conf. Marp. 34. qu. 1. n. 1. & seqq.* contendit, non sufficere ad Testamentum judiciale, ut testator illud scriptum, clausum & signatum Iudici & Scabinis offerat, sed requiri adhuc, ut illud recludatur, & in præsentia personarum judicialium prælegatur, cui *Berlichius part. 3. concl. 4. n. 24. & seqq.* contradixit. *Carpzovius part. 2. decis. 149.* mediam viam eligit, distinguens, utrum testator legere possit, annon. In illo casu putat, non opus esse, ut in præsentia personarum judicialium prælegatur testamentum, licet testator scribere non possit, in hoc casu tale quid requiri existimat. Enimvero simpliciter subscribo Berlichii sententiæ. Nec enim in *l. 19. C. de testam.* aut alibi in nostro Jure aut constitutionibus Imperii distinctio illa fundatur, nec exigitur, ut, si quis literarum ignarus judiciale facit testamentum, coram personis judicialibus id prælegi debeat; ubi igitur Lex non distinguit, nos quoque distinguere non debemus; deinde in simili casu *l. 21. C. de testam.* quando literarum ignarus scriptum facit testamentum, Imp. solum

folium jubent octavum adhiberi testem, qui testatoris nomine subscribat, non vero prælegi testamentum in præsentia testium; quia simul disponunt, *non ideo infirmari testamentum, quod testes nesciant, quæ in eo scripta sunt testamento.* Nec valet objectio, posse fraudem intervenire, dum is, qui describit testamentum Actis insinuandum, falsum queat supponere; nam hac ratione etiam non subsisteret extrajudiciale testamentum scriptum, a literarum ignaro conditum, & in præsentia testium non prælectum (quia non minus in hoc quam illo casu a describente potest substitui falsum) quod tamen aperte repugnat *d. l. 21. C. de testam.* Nec consequentia firma est: hoc vel illud facit ad fraudes excludendas, E. necessario requiritur in testamentis; sic, ut si non omnes, ad minimum aliqui testes cognitam habeant personam testatoris, facit ad fraudes præcavendas, ne loco testatoris alius testibus incognitus exhibeatur, qui nomine illius faciat testamentum; de Jure autem illud non exigitur, sed sufficit, si videant testes testatorem; quicquid igitur jura non necessarium esse ducunt, nec nos ducere debemus. In cæci testamento singulare prorsus est, quod ex constitutione *l. 8. C. qui test. fac. poss. & R. I. de anno 1512. tit. von Testamenten §. aber zu eines blinden Testament.* per nuncupationem tantum testari debeat, hoc enim non est extendendum ad literarum imperitum coram Actis stantem, alias etiam testamentum ejus extrajudiciale, cui adhibuit octavum testem, nomine ejus subscribentem, in præsentia testium non prælectum invalidum esset, quod tamen est contra *d. l. 21. de testam.* Testamentum privatum & extrajudiciale (citra casum privilegii, unde no-



men venit privilegiati) non tantum septem requirit testes idoneos, sed & tot solemnitates, ut ob defectum unius vel alterius saepe totum corruat. *Roland. a Valle vol. 1. conf. 36. n. 1. e Philipp. Porc. notat, Bartolum dixisse, quod unum tantum aptum & solemnem in scriptis testamentum viderit, confectum a quodam Doctore solemnem, quod tamen ultimo deciderit propter defectum solemnitatis. Praeter ceteris testamenta extrajudicialia scripta facile intereunt, si apicibus juris civilis stricte inharemus. B. Struv. Ex. 32. §. 10. Lauterb. in Compend. tit. qui test. fac. possunt, & alii tradunt solemnitates, in scripto testamento servandas, & inter illas juxta legum praescriptum recensent, quod testator nisi totum scripserit, subscribere debeat testamento, aut, si scribere nequeat, octavum testem adhibere, qui nomine ipsius subscribat; ubi notandum, non sufficere, quod testator si non totum scripsit, subscribat, sed requiri etiam, ut in praescripta testium subscribat l. 21. C. de testam. R. I. de anno 1512. tit. von Notarium §. 55. nam si ante testium adventum vel post illorum abitum subscribit, nullum est. Cum autem tot requisita de Jure civili adesse debeant, non opus est, ut plura praeter jus & necessitatem addamus; sic multi Doctores, quos recenset *Speckhahn cent. 1. qu. 50.* existimant, mortuo uno teste e septem ante testatorem vel apertas tabulas & recognitionem Sigillorum, totum testamentum scriptum corrue- re; sed recte huic opinioni contradicunt *Struv. Ex. 34. §. 42. & Brunnem. in Repet. Paratitl. Wesenb. ad tit. testam. quemadm. aperiantur qu. 7.* quoniam illud quidem in nuncupativo, non vero scripto testamento verum est. Rectius sibi consulunt testatores, qui vel judiciale faciunt te-
sta-*

stamentum, vel extrajudiciali clausulam adjiciunt codicillarem, quoniam in codicillis non tot solemnitates requiruntur, & si ultima voluntas non valet jure testamenti solemnis, conservatur tamen per illam clausulam ut codicillus. In hoc enim quinque sufficiunt testes *l. f. C. de jure codicill.* & remittuntur scrupulosa solennitates §. *f. I. de Codicill.* quales sunt, quod testes debeant esse rogati, mares, sigilla adjicere, &c. Idem in donatione mortis causa observatur *l. f. C. de donat. m. c.* Pontifex Rom. qui clericorum commoda per Jus Can. promovere studuit, & in praxi observavit, multas voluntates ultimas, quibus plerumque Ecclesiis & Clericis prospicitur, ob defectum testium interire, in *c. 10. X. de testam.* solum requirit ad testamentum presbyterum & duos aut tres testes, prætenu fat specioso usus, quod æque in *V. T. Deut. 19. v. 15.* ac *Novo Matth. 19. v. 16. Job. 8. v. 17.* duo aut tres testes sufficere dicantur ad fidem faciendam, adeo, ut etiam ad mortem quis damnari possit ob testimonium duorum aut trium hominum *Num. 35. v. 30. Hebr. 10. v. 28.* Sed si legem divinam promiscue ad casus quosvis applicare volumus, non opus est præsentia presbyteri, & duo aut tres alii testes sufficiunt ad testamentum. Hoc ubi admittere volumus, quis non intelligit, innumeras fraudes in ultimis voluntatibus secuturas, quoniam facillimo negotio duo aut tres famelici testes conduci possunt, qui pecunia corrupti falsum perhibeant testimonium, maxime quando agitur de opulenta hereditate. Non adeo magnus subest falsitatis metus, si e duorum vel trium testium juramento ad mortem quis damnari debet; nam præter id, quod duo aut tres testes omni exceptione majores non præsumantur facile
con-

conspirare in scelus tam detestandum & abominandum, innocenti suppetunt varii modi, falsitatem divina providentia detegendi, veritatemque in apicem proferendi; & qui supremum Numen non reverentur, poenam tamen gravissimam, perjuros in terris saepe manentem, evitare conantur. Sanctio igitur Juris Canonici nec apud Pontificios servatur, nisi in terris Ecclesiae h. e. Pontificis Romani, & in quibusdam aliis locis quoad rusticos. Justinianus Imperator tribus ultimis voluntatibus, testamento, codicillo & donationi mortis causa, ante ipsum passim receptis & usitatis, novam, certam omnique fraude carentem addidit, in *l. fin. C. de fideicomm.* ut quis etiam absque omni teste aut scriptura possit alteri quid relinquere; scil. si eligit fidem haeredis (sive talis sit e testamento sive ab intestato) aut legatarii, aut fideicommissarii, (sive is accipiat fideicommissum universale sive particulare) & ejusmodi personas rogat, ut hoc vel illud dent aut praestent alteri tanquam fideicommissario, tunc praevio juramento calumniae, quod fideicommissarius praestare necessum habet, haeres, aut legatarius aut fideicommissarius a testatore rogatus jurare debet, nihil tale a testatore sibi fuisse dictum, aut implere voluntatem defuncti testatoris tenetur. Nulla hoc pacto fit injuria personae onerata; aut enim tale, quod praetendit fideicommissarius, auditur a testatore aut non; illo casu de voluntate testatoris certus quin certissimus est; hoc per juramentum avertat a se opinionem sinistram. Sanctio ista latum aperit campum multis casibus movendis & decidendis, quos bonam partem collegit celeberrimus Tubingensis Ictus *Ferdinandus Christophorus Harprechtus* in egre-

✠ (○) ✠

egregio Tractatū, ad dict. *L. ult. C. de Fideicom.* scri-
pto, & hoc ipso de Jurisprudētia nostra practica optime
meritus est. Præter illam speciem ultimæ voluntatis, no-
viter stabilitam, potuisset Imperator Justinianus adhuc a-
liam introducere; nempe si quis extra dictum casum fi-
deicomissi certus est, hoc vel illud voluisse defunctum, &
nullam intervenisse fraudem, ubi tamen deficiunt solen-
nitates juris civilis, in tali quoque casu potuisset constitue-
re, ut hæres, vel legatarius vel fideicommissarius jurare
deberet, annon certus sit in conscientia, quod testator ab
ipso voluerit hoc vel illud præstari, & vel morte præven-
tus non potuerit solemniter testari, vel ex errore credi-
derit, voluntatem suam absque solemnitatibus juris, quæ
neglectæ vel non attentæ fuerunt, fatis valituram. Hæc
differere volui occasione *L. ult. C. de fideicom.* quam No-
bilissimus Jurium Candidatus

JOHANNES RODDE

lectione publica, quam cursoriam appellamus, sum-
sit dilucidandam. Natus is est in celebri bonarum
literarum & mercium Emporio, libera Imperiali Ur-
be LUBECA sub finem sæculi superioris anno nona-
gesimo secundo, & die mensis Decembris ultimo. Diu
claruit & adhuc floret apud Lubecenses RODDIORUM
familiæ, e qua Noster ducit originem; genitus quippe a vi-
ro ob mercaturam conspicuo FRANCISCO BERNHARDO
RODDE; matrem veneratur egregiam Matronam AN-
NAM MAGDALENAM, JOHANNIS SIRICII Con-
sulis Lubecensis Filiam. In tenera ætate vix bimus opti-
mum

mum amisit parentem, cuius vicem ope & consilio sup-
 plexerunt agnati ejus omni laude dignissimi Illustris
 ADOLPHUS MATTHIAS RODDE, & HERMANNUS
 RODDE, tle Consul, hic Senator de Rep. Lubecensi
 meritissimus. Mater defuncto marito intendit curam in
 recte formanda & potissimum virtutibus ornanda juven-
 tute nostri Candidati, &, quoniam pietas primum sibi
 vindicat locum, tota in eo fuit, ut non minus in vera
 fide quam bonis moribus erudiretur. Domi aluit fide-
 les magistros, sed his non contenta misit Filium ad
 scholam apud Lubecenses publicam, ubi sub Rectore,
 SVANTENIO, Conrectore GOLDELIO, Sub-Recto-
 ribus LIPPENIO & STAMPELIO, pariterque aliis Scho-
 læ patriæ Collegis WIDA, PAGENDARMIO, & SI-
 VERO haud contemnendos in studiis fecit progressus.
 E schola honeste & cum elogio dimissus audivit docen-
 tes in Logicis WESTERHEIDIUM, in Ethicis & Politi-
 cis ANDRAM LANGIUM, J. U. D. & Reip. Lubecen-
 sis Referendarium, quorum hic fundamenta quoque
 tradidit Juris civilis & publici, de Nostro præterea opti-
 me meritis. Non parum sibi gratulatur, quod oculis
 spectaverit primum Borussæ Regem FRIDERICUM,
 gaudium & delicias non tantum subditorum, sed & alio-
 rum Germanorum exterorumque, dum Sverinum pro-
 fectus regia sponsalia cum Principe Mecklenburgensi
 celebrari vidit. Postea suasu laudatissimorum Agna-
 torum ad Juliam Academiam se contulit, ubi hospitio
 non minus quam informatione usus est præstantissimi
 JCr Johannis Werlhofii, cuius humanitatem &
 in docendo fidem multum deprædicat. Frequentavit
 etiam

etiam Collegia celebris JCTi ENGELBRECHTI ad
 Compendium Lauterb. & Summe Reverendi Abbatis
 SCHMIDII curiosas lectiones. Commoratus ibi per
 annum in patriam rediit, & mox Francofurtum ad Mœ-
 num petiit, receptus in comitatum legatorum Electora-
 lium Luneburgo-Brunsvicensium, Lib. Baronis de GOE-
 RIZ & DE SCHRADER, ubi varias circa Electionem
 Imperatoriam occurrentes solennitates aliaque plura no-
 tatu digna observavit. Peracta electione Tubingam con-
 cesit, in qua Academia ICTos scriptis & Doctrinis in-
 clytos HARPRECTVM, GRASSVM & SCHWEDE-
 RVM magna cum voluptate & utilitate sectatus est, Can-
 cellario quoque JAEGERO Historiam seculi 15. & 16.
 exponenti adhæsit; circa tempus coronationis Impera-
 toriæ Francofurtum denuo excurrit, altero statim post
 coronationem die, ne longius a studiis abesset, Tubin-
 gam reversus. Diutius in hac Musarum sede mansisset;
 ni adversa valetudo & Medici aliud svasissent. Quare
 in Salanam nostram commigravit, usus hospitio & con-
 siliis saluberrimis Illustris Consiliarii intimi WILDVO-
 GELII, Collegiis autem non minus egregiorum ICTo-
 rum Professorum SCHROETERI & STRVVII, quam
 Theologi Professoris excellentissimi BVDDEI, pariter-
 que strenui jurium Doctoris BECKII, & Bibliothecarii
 solertissimi RICHARDI. Omnem semper navavit operam,
 ut evitato malorum & ignavorum hominum consortio Vi-
 ris eruditis & claris se adjungeret, e quorum sermonibus
 subinde rediret doctior meliorque. Avide perlustravit splen-
 didissimas Bibliothecas, Gvelferbytanam, Regiam Beroli-
 nensem, (huicque junctam Spanhemianam) Vinarien-
 sem,

fem, Lipsiensem, Noribergensem & alias plures. Academia nostra valedicturus ambiit summos in Jure Honores; unde Facultas nostra Iuridica exposito honesto desiderio admisit ipsum ad consveta Examina, in quibus spem, quam de ipso conceperat, satis implevit, dum textus ex utroque Jure propositos docte resolvit, nec minus ad dubia Assessorum mota promte & nervose respondit. Quare dignus omnium calculis fuit judicatus, ut ad publica edenda eruditionis specimina admitteretur. Crassina igitur luce habebit Lectionem Cursoriam, cui ut Magnificus Pro Rector, Patres Academiae venerandi, Hospites omnium ordinum honoratissimi, & praeripis Generosi & Nobilissimi Studiosi velint interesse, Facultatis nomine decenter oro rogoque. P.P. Ienae d. XI. Martii MDCCXIV.



X2403649





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

COLLEGIJ JURIDICI DECANUS
GVIL. HIER. BRUCKNERUS, D.
 PANDECT. PROF. PUBL. CURIAE PROVINC. FACULT.
 JURID. ET SCABINATUS ASSESSOR,

DE
**VARIIS ULTIMARUM
 VOLUNTATUM SPECIEBUS,
 PECULIARITER DE NOVA PER
 JUSTINIANUM IMP. INTRODUCTA**

in L. fin. C. de Fideicommiss.

Quam
 NOBILISSIMUS. SUMMORUM IN JURE HONORUM
 CANDIDATUS

JOHANNES RODDE, LUBECENSIS

Lectioe solempni, quam cursoriam vocant,

D. XII. Martii MDCCXIV.

sumfit exponendam,
 tractat in hoc PROGRAMMATE.

I E N A E,
 TYPIS MVLLERIANIS.

Adiuncta

*Jo. Ge. Crameri de coniungendo iuris et anti-
 quitatum germanicarum studio, huiusque
 subsidiis ac adiumentis.*

18. 6
 1714, 5